PAPA-CACUS:


SIVE,

ELEGIA HORTATIVA AD OMNES ORDINES Britanniæ magnæ & *Hyberniæ.*

ET DECASTICHON IN IESVITAS Iaiolanos Monachos.

Per IOANNEM GORDONIVM *Theologiæ Doctorem, & Decanum Ecclesiæ Cathedralis Sarisburiensis.*

(5)



LONDINI
Excudebat FELIX KYNGSTON.
Anno Dom. 1611.



PAPA-CACVS:

SIVE,

ELEGIA HORTATIVA AD omnes ordines Britanniæ magnæ *& Hyberniæ.*

AD gentes Missam se affirmat dña Sibylla,
Has colere vt doceat numina vera Dei.
Christi, illa aduentum prædixit, & Antichristi,
Fatidico Græcis carmine vera canens.
Tradidit & Romæ fatales virgo libellos,
Quos rebus creperis consuluere patres.
Hinc Maro grandiloquus Cumæo carmine doctus,
Demissam cœlo progeniem cecinit.
Hinc & Auentino Antichristum monte furentem
Nomine sub Caci saxa per alta locat. *Papæ & Caci comparatio.*
Semihominē hunc pingit fumos, flammasque, vomen-
Quodq; triceps monstrum Naso poeta canit. (tem,
Huic spelunca domus tenebroso in montis hiatu,
Nigraq; sub saxis antra reclusa cauis.
Pro foribus pendent tristi rorantia tabo
Ora virum, iugulat quos truculenta manus.
Huic circum virides valles, & gemmea prata,
Mille quibus soliti luxuriare greges.
Armenta Alcidæ per Tempe pabula tondent,
Dum tectis heros Arcadis hospes erat.

Interea scelerum patrator, Cacus alastor:
Auersos caudis traxit ad antra boues.
Dum parat Alcides abitum, saluæq; iuuencæ
Mugitu socias per caua saxa vocant;
antro, quæ — ~~Reddidit vna vocem vasto quæ clausa sub antro,~~
boatum —
Criminis & Caco debita damna tulit.
Alcides Cacum detecta fraude vomentem
Fumos cum flammis ad sua fata trahit.
Diruit & scelerum latebras, fœda antraque tabo,
Et facta Alcidæ libera Roma manu.
Montem hunc inuasit post sæcula sera tyrannus,
Instar qui Caci fumea tela vomit.
Hic Papæ assumpsit nomen, propriumque dicauit,
Vt miti tegeret nomine nequitiam:
Et quamuis prisci mutauit nomina Caci,
Est alter Cacus fraudibus atque dolis;
Cacus vt in latebris latitans montísque recessu
Caudis auersos traxit in antra boues;
Sic Papa auersos à vera relligione
Incautos homines nigra sub antra trahit:
Vtq; homines Cacus crudeli morte peremit,
Innocuóque antri sanguine tinxit humum;
Sic Papa exurit mortalia corpora flammis
Horum, qui imperij fræna subire negant,
In se omnes transfert leges, diuináque iura,
Quod libet hoc illi posse licere tonat:
In reges populos armat, dulcésque penates,
In patres natos, in iuuenésque patres.
Non tam mente furit rabida furialis Erynnis,
Non leo, non tigris, diráque Tisiphone:
Quantum papali mens externata veneno,
Idolis cæcis cæcior ipsa furit.

Hoc

Hoc immane ſcelus pietatis nomine cælat,
 Se iactans verum poſſe creare Deum,
Mancipijſq́ue ſuis promittit cælica templa,
 Illum ſi credant orbis adeſſe Deum,
Próque Deo vero, ſi farris numen adorent,
 Fingere quod numen murmure vocis, ait:
Si ſtatuas mutas, quas ipſe dicauit in Aris,
 Baſia figentes thuris honore colant.
At veros cæli cultores numinis, igne,
 Et ferro, cogit triſtia damna pati;
Præq́ue alijs illi eſt exoſa Britannia terris,
 Eius quòd renuat dura ſubire iuga,
Et ſtatuas hominum mutas ſenſúque carentes
 Quòd venerari animi relligione neget,
Quòdque creaturis non dandos credat honores,
 Figmentis hominum quæ ratione carent,
Deneget & Papis quod ſit conceſſa poteſtas,
 Reges à proprijs pellere fraude thronis,
Quòdque Deum in terris papam non eſſe colendum
 Credat, Sandalijs oſcula dando pedum:
Hinc eſt quòd toties turba amens papicolarum,
 Et regi, & patriæ, damna cruenta ſtruit.
O proceres quibus eſt data diſpenſatio legum,
 Voſque miniſterij queïs data cura Dei;
Paruo perlegite hoc immania facta libello
 Cerberij Caci ſemiferique Dei,
Qui fumis oculos fallit pro relligione
 Vera, falſa ferens dogmata, mente furens:
Alcides Cacum qui iuſta morte peremit,
 Lux alma eſt veri ſydere miſſa Poli,
Lux eadem Cacum qui Romæ ~~præſidit~~ altè, præſidet
 Et plebem auerſam cæca ſub antra trahit,

Euertet tandem, fumos flammasque vomentem
 Conteret, hæc captos eripietque boues.
Sunt vobis bini Alcidæ natusque paterque,
 Ambo armis clari, legibus atque animis;
Hos Deus vt Cacum perimant euexit ad altum
 Imperij culmen terra Britanna tui:
O proceres vestris Alcidis iungite mentes,
 Diuitias, vires corporis, atque animi,
Diruite, atque imis euertite fundamentis
 Caci antrum fumans sanguine martyrij:
Ante oculos mentis proponite facta nefanda,
 Caci imitatorum papicolûmque scelus;
Pulueriæ memores persistite proditionis,
 Facta terat quæ vt vos, pulueris instar erat,
Dum Rex, & regni cœtus, pro more vetusto
 Vna animis iunctis æde coire parant,
Papicolæ insani, nigríque Acherontis alumni
 Orco, non cælo, fulmina sæua petunt:
Cum populo regem, regis cum coniuge, prolem,
 Vno ictu tentant præcipitare neci;
Ima parte domus subdunt Vulcania tela,
 Puluere farta dolo dolia sulphureo,
Fulmineo vt vomitu tumularent æthere regem,
 Et regis stirpem, nobiliúmque decus:
Vtque superstitio Romana emersit ab Orco,
 Suppetias orco sic petit illa sibi.
Vos regi (ô proceres) iungant communia fata,
 Sorte quibus parili damna parata necis,
Concordes animos stabili coniungite vinclo,
 Fida fides regi stet sine labe gregis.
Rex vt imago Dei viua est, sic factio Romæ,
 Regibus infida est, quæ male fida Deo.

Com-

Communes iras communis ſentiat hoſtis,
Curáque communis par ſit vtriſque laris.
Sollicitis animis naſcenti obſiſtite peſti,
Ne tabes gliſcens corpus in omne meet.
Qui ferro & flammis patriam delere minantur,
Pro meritis facti noxia damna luant.
Qui Papam credunt orbis dominumque, Deumque,
Hoc regno extorres Itala regna petant.
Aut ſi illis melior veniet ſententia menti,
Terra illis placeat lexque Britanna ſimul.
Sic Rex tutus erit, ſic Grex ſecurus ab hoſte,
Dum Rex, Lex, & Grex fœdera iuncta tenent.





Decastichon in Iesuitas laiolanos *Monachos.*

Homer. Iliad. ι & τ. ἄτη ἣ πάντας ἀᾶται.

NOxa Dea est, Aten quam dixit prisca vetustas,
Mentibus hæc hominum noxia damna serit.
Iupiter hanc fertur Cœlo extrusisse supremo,
Illa ales velox haud pede pressit humum:
Sed cerebris hominum celeri perfusa meatu
Ad scelus, & noxam corda nefanda rapit.

Vide Hospinianum de Iesuatis Monachis.

Hæc Monachis dederat Iesuatis nomina prisca,
Nomine qui Iesu dogmata falsa dabant.
Hos olim domibus pepulit prudentia patrum:
Pulsa Ate hinc terris nigra fluenta petit.
At nunc Tartareo Monachos Satan edidit Orco,
Qui Iesuitarum nomina ficta ferunt.

Ἴτης ὁ ἀναιδὴς ardelio impudens temerarius. Aristoph. ἱπ.

Atra lues Graijs Itas est ardelionum,
Qui scelerum & cædis semina dira serunt:
Hoc sensu, verum Monachis Laiola prophanis
Nomen das, mores quod geniumque notat.
Nam plebem in reges armant, & vincla resoluunt
Iuramenti, homines quod ligat, atque Deum:
Itas tolle Deus diuino à nomine Iesu,
Relligio vt vigeat cum probitate, fide[illegible]

FINIS.